

Dobriša Cesarić:

SLAVONIJA — SLAVONIA

Rursus iam veteris plana Slavoniae
apparent oculis — pectus ovat meum —.
Ausculto . . . Strepitat rauca cicadula
in spicis: Veniunt laetificae dies
messis moxque aderit spicifero solo
mus cricetus edax, hospes agrarius.
Qui ducit per agros, tramite femina
amotum ad puteum tendit aquarium,
pro sese hac gradiens ore ciet melos
extensum patulo cum modulamine:
par eius patria est carminis ac modus.

Ljubljana.

Vertit: *S. Kopriva.*

August Harambašić:

NEVENKA — HOS TIBI PRAEBEO FLORES

Ut tibi donarem flores aliquos ego legi,
nam pro te donum pulchrius haud habeo.
His ut te exornes, en hos tibi praebeo flores,
cum decore haec tibi non munera sint paria.
Sed fuge mirari rores in floribus hisce:
Esse meas lacrimas, carmina scito mea!

Ljubljana.

Vertit: *S. Kopriva.*